



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. An & quando excommunicati propter suspitionem hæresis,  
tenquam hæretici condemnari possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quo 2. §. *Inhibemus h. t. in 6.* sed etiam Clericis, cum hæreticis disputare *can. De quibus. 36. can. 24. q. 3.* (præsertim, cum illis, qui fuerunt Magistri erroris, & plerumque valde pertinaces sunt in errore suo defendendo) ob periculum, ne simplices talem disputationem audientes ob hæc hæreticorum argumenta, fatua quidem, sæpe tamen splendida, de fide periclitentur; suis tamen limitationibus multis, hæc prohibitio, sub pœna excommunicationis posita, non caret: & sicut Laicis de fide disputare prohibitum, ita multo magis prohibetur illis prædicare. *c. Cum ex injuncto 12. h. t. c. sicut 14. eodem, & c. Excommunicamus 13. §. Quia vero eodem.*

## §. IV.

*An & quando excommunicati propter suspicionem hæresi, tanquam hæretici condemnari possint.*

**S**UPECTI de hæresi, nisi juxta considerationem suspicionis, & qualitatem personæ, debitè se purgaverint, sunt excommunicandi, & si per annum in excommunicatione, aut contumacia persistierint, ut hæretici sunt condemnandi. *c. Excommunicamus 13. h. t. & c. Cum contumacia 7. eodem in 6.* Quæ tamen, quia in illis tantum certis locum habent, ubi inquisitores contra hæreticam pravitatem constituti sunt & major cura habetur, hæresis non admittendæ aut extirpandæ, quàm in nostra misera Germania, pluribus explicare, nulla est necessitas, videatur Auct. Meth.

## §. V.

*De absolute ab hæresi, & excommunicatione et avocata.*

**P**ER se quidem excommunicatio, quæ incurritur propter hæresin, & consequenter etiam crimen hæresi, retractata sunt, in ordine ad absolutionem Summo Pontifici, & quibus, vel à summo vel à Summo Pontifice absolventi, licentia conceditur, cum peccatum, quod censuram habet annexam, ordinari non possit, nisi prius censura ablatâ, potest tamen sublatâ per legitimum testatorem censurâ, à quolibet deinde sacerdotem, jurisdictionem legitimam habente, peccatum hæresi absolvi. Habent autem licentiam absolventi ab hæresi, & excommunicatione ei annexa primò Episcopi respectu sacrorum laborum, vi Concilij Tridentini, ab *Sess. 24. cap. 6. de reformatione illius* conceditur, ut possint in Diocesi (sua, per se non tamen per Vicarios suos) ab occulto crimine hæresi, & excommunicatione annexa, in foro conscientie absolvere; occultum nomine intelligendo, quod non est publicum, notorium, & famosum, aut deducum ad forum contentiosum, per accusationem, denuntiationem, aut citationem rei à iudice factam. Secundò habent hanc licentiam vi privilegij religiosi quidam, propter ex privilegij eorum patet.

Sicuti autem ex sententia probabiliter hæc tales licentiæ ad absolventem ab hæresi, etiam publica, & excommunicatione annexa, quæ in certis casibus, iuris communis conceduntur, per Bullam